



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CIVITATUM FOEDERATARUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS** IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS

EPARCHIA CONDITUR PRO FIDELIBUS CHALDAICI RITUS Mense Ianuario, anno millesimo nongentesimo octogesimo altero, filiis Nostris de ritu Chaldaico consulere cupientes, in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis degentibus, Exarchatum Apostolicum constituimus, quo fideles illi, quasi domus propriae saeptis continerentur, custodirentur, ad pietatem formarentur : non enim facile est mores, ingenium, indolem propriae stirpis extra patriam servare, nisi Ecclesia, mater communis, filiorum curam ipsis congruam suscipiat. Cum autem, spirante Christi gratia, iam circumscriptio illa incrementa haud minima suscepisset, bene fieri censuimus, si, iuxta preces Venerabilis Fratris Nostri Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum, eam Sedem ad Eparchiae dignitatem eveheremus : id enim et honori Sedi cederet, et animum adderet ad maiora pro Christi fide coepta atque certamina. Qua re, consilio petito a Venerabili Fratre Pio Laghi, Archiepiscopo titulo Maurianensi atque in Rebus Publicis Foederatis Americae Septentrionalis Pro-Nuntio Apostolico, item a Venerabilibus Fratribus Conferentiae episcopalis eiusdem Nationis, apostolica Nostra potestate Exarchatum apostolicum pro fidelibus Chaldaici ritus in ea natione commorantibus in Eparchiae formam redigimus cum omnibus iuribus et obligationibus tali novae conditioni inhaerentibus. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum has Litteras Nostras idem Venerabilis Frater Pius Laghi ad exitum deducet, vel quem ipse legaverit, factis nempe iustis facultatibus, quas cuilibet delegare poterit, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	LADISLAUS Card. RUBIN
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>Congr. pro Eccl. Orient. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Laurus Governatori, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVII (1985), n. 11, pp. 1019-1020

© Copyright 1985- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana